

**XXI FEBRVARII.
DE SANCTIS MARTYRIBVS MAVRICIO,
PHOTINO EIVS FILIO, THEODORO,
PHILIPPO, ET ALIIS LXVII MILITIBVS,
APAMEÆ IN SYRIA II**

**VITA EX MS. GRÆCO,
collata cum Metaphraste.**

CAPVT I

**Iter Maximiani Imperatoris in Syriam. Horum
Martyrum captiuitas. S. Mauricij cum Imperatore
disceptatio.**

[1] Vbi Martyrum memoria est, ibi solida in Deum pietas ostenditur, ac mens sapientiæ amans Deo coniungitur: res etiam corporeæ commeant ad hæreditatem spiritalem, & pax acquiritur immobilis, qua animorum perturbationes frænantur, dum cælestes spiritus & terrena corpora mutuo fœdere conciliantur. [Memoria Martyrum utilis.] Quis enim eorum certamen mentis intuens oculis, non erit remotus a carne & mundo, dum e sola in Deum pietate eorum carnem intelligit conculcatam? Non enim caro his concupiscit, neque puluis terræ contra Dei imaginem rebellat, sed quicumque arbitratur quodcumque deterius gubernari ab alio præstantiore, mentem comparat immotam ad cælestem metam.

[2] Tale certamen aliquando proponitur septuaginta Martyribus, quorum pretiosum & Christi amantem sanguinem, Apameensium excipiens metropolis, sanctum & Deo gratum emisit sacrificium, pro pretioso vnguento totum corpus Christi, [vti 70 Apameensium, passorum sub Maximiano,] nempe sanctam Ecclesiam, eorum sanguine

inungens. Maximianus enim inprimis impius & iniquus Imperator, quamlibet, quantumuis magnam, crudelitatem contendens superare, studebat ut omnes, qui subiecti erant eius Imperio, offerrent execrandis & immundis dæmonibus: ut per eorum adorationem & deorum, uti falso nominabantur, falsam religionem, suo Imperio acquireret præsidium & magnificentiam. Cum hoc ergo facere statuisset, ipse seipsum ad hoc sedulum & industrium constituit ministrum. [addicto cultui dæmonum:] Nolebat enim, ut Imperatores qui eum præcesserant, iubendo scribere ad locorum Præsides, ut idolorum cultus curam gererent: sed ipse impigre & diligenter obibat orbem terræ, effectus velox minister altarium dæmonum, sperans infelix per suum aduentum se effecturum, ut, qui defecerant ab eius superstitione, & accesserant ad veritatis Christi cognitionem, transfugerent ad errorem suorum immundorum & execrandorum deorum.

[3] Tali ergo animo Romam relinquens Maximianus impius tyrannus, & per Orientis partes iter faciens, peruenit Apameam, quæ est metropolis secundæ provinciæ Syrorum. [apud quem Apameam profectum] Quo in loco idolorum sacerdotes ad eum accedentes, accusabant Christianos, dicentes ei: O diuinissime Imperator, cum dii nobis dederint loquendi libertatem apud tuam pietatem, deferimus ad tuam inuictam potentiam, quod vnusquisque eorum, qui sunt apud nos, cum timore & desiderio honorat maximos & patrios tuos deos; maxime autem louem patrem deorum, & Apollinem admirabilem, qui sunt aliis diis superiores, & imperium tuæ potestatis valde conseruant & tuentur. [accusantur Mauricius & milites eius 70.] Mauricius autem & qui sunt cum eo septuaginta milites tuæ potentiæ, in altum elati honoribus tuis & muneribus, & qui ditia & magnifica dona ex te perceperunt, deos habent contemptui, & aduersus

magnum tuum & inuictum imperium exercent tyrannidem abducti errore Christianorum.

[4] Hæc ergo cum audisset tyrannus Maximianus, animo valde fuit iratus, & præcordiis incensus, ac mente magis arsit, quam fornax: præcipue cum accepisset, tales in suo exercitu esse milites. Die ergo assignato insigni, & loco inuento apto ad populi spectaculum, in medio portarum septemtrionalium metropolis Apameensium, quæ dicitur a Vicinia Hamaxica, iussit illic parari iudicium & duci inclytos Martyres. Cum in alto autem tribunali impius sedisset tyrannus, concurrisset vero vniuersa ciuitas & omnis ætas ad eos spectandos, adeo vt nec virgines quidem, [coram tribunali eius sistuntur:] quæ degunt in thalamis, remanserint in suis habitaculis; duxerunt satellites septuaginta Christi milites.

[5] Hos cum adspexisset Imperator, dixit eorum Duci: Nos sperabamus, o Maurici, quod nostris fruentes donis, & alimento gloriantes imperatorio, primosque honores & dignitates a nobis consecuti, insisteretis vestigiis nostræ tranquillitatis, & eos, qui conarentur resilire a nostra religione, diis grata, fortibus factis & omne genus doctrinis conuerteretis ad sanitatem, quod egrotaret curantes, & quod claudicaret corrigentes, [acriter obiurgantur:] & quod bellum gereret pacificantes: & vt breuiter multa dicam, quidquid se non ex nostro haberet instituto, tamquam inimicum & hostile subiicientes. Sed de vobis, vt videtur, contrarium accepimus. Non solum enim non conuertistis eos, qui aduersus nostram rebellarunt religionem, sed etiam ipsi aduersus deos nostros omnipotentes tyrannidem exercentes, & qui eis sunt constituti honores & sacrificia ac libamina abolentes, aliis fuistis duces ad barathrum interitus: si vera sunt, quæ de vobis ad nostras aures peruenerunt.

[6] Dixit Mauricius: Imperator, quæ a nobis exercetur tyrannis aduersus deos, qui sunt nullo sensu præditi, nobis a vero Deo validam acquirit victoriam & coronam gloriæ. Non enim aspernamur & nihili facimus Deum, qui nos finxit, vt stulta est tua traditio: [S. Mauricius inculcat vnus Dei notitiam:] sed glorificamus eum, qui est solus verus Deus, qui fecit cælum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt. Dæmones autem, qui hominibus afferunt exitium, non conuenit deos vocare, o Imperator. Dixit Maximianus: Cum honorem a diis sis consecutus, & militiæ primum locum sortitus, o Maurici, eis pulchram refers gratiam. Mauricius dixit: Numquam honorem accepi a diis vestris, neque volo eos honorare. Quis enim vnquam ex hominibus, qui Dei habet cognitionem, sustinuerit honorare materias nullo sensu præditas? Sed quibus non est mens, quæ rectis gubernatur rationibus, propterea quod iumentis comparati sint insipientibus, & similes facti sint eis, ij lapides & ligna in deos referunt, mentemque eis tribuunt, & honorant tamquam deos. Dixit Imperator Maximianus: Quoniam primas partes obtinuisti in ordinibus nostræ administrationis, o Maurici, id tibi magnam præbuit confidentiam, & effecit audaciorem: adeo vt splendide & citra vllam conturbationem respondeas nostræ serenitati.

CAPVT II

Inquisitio fidei facta.

SS. Theodori, Philippi, Photini,
aliorumque responsum.

Zona militaris ablata.

[7] Tunc iubet eo separato reliquos interrogari, & eis dicit Imperator: Quis vobis tantam fecit iniuriam, o fratres, vt deficeretis a diis seruatoribus; accederetis autem errori hominum, qui adorant hominem crucifixum tamquam vnum homicidam? Non enim sic vos erudiimus, neque in

tali doctrina eduximus. Tunc Theodorus & Philippus, tamquam ex ore sanctorum septuaginta Martyrum, dixerunt: Nos, o tyranne Imperator Maximiane, tantum absumus ab errore, vt te quoque optemus liberari ab errore, a quo nos fuimus liberati, vnum & solum adorantes verum Deum, [SS. Theodorus & Philippus explicant mysterium SS. Trinitatis:] Patrem omnipotentem, & vnigenitum eius Filium Iesum Christum Dominum nostrum, qui est Dei virtus & Dei sapientia: & sanctissimum eius Spiritum, qui nobis inspirauit cognitionem & intelligentiam, vt confiteamur quidem Trinitatem, quæ est eiusdem essentiæ; abominemur autem immundam tuam religionem: & hanc quidem abiiciamus perituram religionem; militiam vero militemus Deo, qui est Rex exercituum. Dixit Maximianus: Video, o Philippe, te senectutem quidem habere reuerendam, intelligentia autem multum cedere iuuenibus. Confuge ergo ad deos, & sis bonus consiliarius reliquis tuis militibus de diis adorandis, vt maiora dona & honores a nobis consequaris. Dixit S. Philippus: Ego non sum futurus malus consiliarius iis, qui sua sponte deducti sunt ad timorem veri Dei. Scriptum est enim: Væ ei, per quem malum venit.

[8] Dixit Maximianus: Lenitas nostræ patientiæ te audaciorem effecit, Philippe. [Matt. 18. 8] Nolite ergo in his insistere, ne iustas pœnas in vos irritetis, & euadatis exemplum nostræ indignationis, audentes nominare hominem, qui a vobis est relatus in deos. Respondentes vero sancti septuaginta Martyres, [omnes constanter fidem profitentur:] dixerunt tyranno: Vanæ & inanes minæ, o Imperator, tuæ abominationis, virtutem nobis ex alto largiuntur. Non enim ingreditur aut inhabitat metus tormentorum in bona mente & stabili eorum, qui diligunt Dominum. Tunc Maximianus Imperator, [habitu militari & zonis priuantur:] iussit auferri a sanctis septuaginta militibus habitum militiæ, & eis abscindi zonas, & adduci eos cum magna ignominia. Cumque hæc magna

celeritate effecissent satellites, dixit eis tyrannus: Videte, quale vobis obtigerit dedecus propter vestram inobedientiam. Sancti dixerunt tyranno: Etiamsi tu, vt existimas, nos exuisti, sed est Deus noster in cælis, quem colimus, qui nos induit stola æternæ gloriæ, quam ipse non es dignus audire propter satanam patrem tuum, qui in te loquitur.

[9] Tunc valde iratus tyrannus, dixit: O execrandi & indigni deorum beneuolentia, vos vestram ignominiam vobis conciliastis. A nobis enim honore affecti, maximos deos affecistis contumelia, & nostram contempsistis amicitiam. Respondentes autem Sancti, dixerunt Tyranno: [honorem militarem contemnunt:] Hæc militia tua, vt quæ nihil sit, præterit: & qui adest honor, est tibi dedecus: quoniam oblitus es Dei, qui hanc tibi dedit potestatem. Inanima vero simulacra, quæ te nihil iuuant, quod ea non cognoscant eum, qui ipsa honore afficit aut contumelia, in deos stolide refers. [carceri mancipantur:] Dixit tyrannus: Propter nostri imperij clementiam vobis parcens, & volens vitam vobis esse saluam, adhuc vos patior. iussitque eos tres dies includi in carcere, vt caperent consilium, quod eis expediret.

[10] Cum autem satellites implessent iussum Imperatoris, & eos in custodia inclusissent cum collaribus, Sancti dixerunt inter se: Fratres, paremus omnes vna eademque mente nostras animas ad orationem, & intense oremus Deum nostrum, vt det nobis sapientiam & cognitionem per sanctum suum Spiritum, [se inuicem excitant:] & iniiciat in os nostrum, quid respondeamus: vt admiretur tyrannus veritatem nostræ fidei. Et se ad precandum conferentes Sancti septuaginta, [& auxilium Dei implorant:] tamquam ex vna anima dixerunt: Deus omnipotens, cuius potestas æterna, & regnum non interit, mitte ad nos sanctissimum tuum Spiritum, vt in ipso exultemus & lætemur, & vincamus erroris nequitias, & extollamur in vera tua fide

per sanctum Spiritum, qui loquitur in nobis, secūdum tuam veram promissionem & propter ablatam a nobis mundanam dignitatem efficiamur milites in sancta tua ciuitate, in qua tecum venient omnes congregati in fide Christi tui, cum quo tibi Patri debetur gloria & potestas cum sancto & viuifico Spiritu in secula. Amen.

[11] Completis autem tribus diebus, præsidens rursus Maximianus, in eundem locum portæ Hamaxicæ rursus concurrente vniuersa ciuitate, accersiit Sanctos. Hi vero accesserunt tracti a ministris, & steterunt ante impium. Hic autem minas temperans clementia, dixit eis: O viri, discite tandem quid vobis expediat: & accedentes, diis sacrificate, & vitam accipite, & non mortem acerbam. Dixerunt Sancti: De hoc bonum consilium cepimus, o Imperator: [coram Imperatore mortem propter Christum contemnunt:] odio habere hanc vitam, quæ est ad tempus; diligere vero mortem propositam, propter Christi desiderium. Per ipsum enim vitam æternam speramus lucrifacere. De cetero ergo fac breuiter, quod vis. Nos enim non negamus Deum nostrum, neque dæmones tuos adoramus. Nam in condemnatione huius mortis, quæ est ad tempus, liberamur ab æterna condemnatione.

[12] [S. Photinus adolescens generose nomen, genus ac fidem Christi profitetur.] Hæc cum dixissent Sancti, videns tyrannus in medio eorum adolescentem dixit ei: Quod est tibi nomen, & cuias es genere? Dixit adolescens: Nominor quidem Photinus, a vera luce accepto nomine. Sum autem miles Christi, qui pudore affecit patrem tuum satanam. Et sum genere quidem Romanus, filius vero & carnalis & spiritalis Mauricij clarissimi. Ex eo enim ortus, & ab eo accepta Dei cognitione, in Christi fide sum educatus: quem tu negans, o Imperator, comparatus es iumentis insipientibus, & similis factus es illis. Dixit tyrannus: Stultus es adolescens, & sunt tua verba ætate digna. At iam disce, quod tibi conducit: & accedens, sacrifica

maximo deo loui, & parce tuæ iuuentuti. Dixit adolescens: Propterea quod non facio, quod vis, neque sacrifico simulacris, dicis me stultum esse. Nam quod attinet quidem ad fidem Domini mei Iesu Christi, valde sapio.

Annotata

Loco sequentium huius numeri ista leguntur apud Lipomanum: Et adscribamur in numerum ciuium cum omnibus tuis Sanctis, qui tibi a seculo recte in fide placuerunt: Quoniam tu es solus Deus, & te decet gloria & potentia. Amen.

CAPVT III

Verberibus, igne, ferreis vnguibus afflicti Martyres.

S. Photinus capite plexus.

[13] Tunc rursus dixit tyrannus Sanctis: Quousque importunitatem vestram sustinemus, & tormenta differimus ex benignitate incomparabili? Sacrificate ergo diis, ne in vos armetis iustitiam. [Sancti inscitiam Imperatoris arguunt:] Dixerunt Sancti tyranno: Si quid ingenij habeas aut scientiæ minister immundorum dæmonum, didicisti a Photino nostras vires. Si enim ille, cum sit ætate iuuenis, pudore affecit impiam tuam mentem & nullo sensu præditam, per sinceram suam fidem & Christi cognitionem; quanto magis nos contendemus tormenta omnia sustinere, vt pudore afficiamus patrem tuum diabolum, & placeamus Christo? Tunc iratus tyrannus, iussit Sanctos verberari crudis boum neruis: [cæduntur crudis boum neruis:] & cœperunt ministri eos cædere, donec carnes eorum discerpserunt: & cum valde emanaret eorum sanguis, Sancti sursum adspicientes in cælum clamabant, Christo Deo supplicantes, vt eis vires adderet, & leuaret eorum labores. Qui cum audiisset intensam eorum precessionem, ad eos accessit potestate, quæ non cadit sub adspectum,

[a Christo confirmatur:] & alleuauit labores tormentorum, & corda eorum in caritate erga se confirmauit.

[14] Cum defessi autem essent tortores, tyrannus dixit Sanctis: Cognouistis, o audaces homines & temerarij, quam sit mihi facile vitam uestram perdere? Sacrificate ergo dijs, ne acerbiora tormenta sentiatis. Sancti uero respondententes, dixerunt tyranno: Hoc cognosce, o impie & aliene a uero Deo nostro, quod quomodo tu Christi caritatem & eius splendorem non sentis propter tenebras, [expetunt alia tormenta:] quæ mentem tuam operiunt ex errore dæmonum; ita neque nos tormenta tua sentimus, propterea quod mens nostra sit illuminata a fide & caritate Christi Dei nostri. Excogita ergo alias in nos nouas machinas tormentorum. Sitit enim mens nostra, & desiderat quæ est ex Christo caritas, per tuam in nos sententiam contemplari Deum uiuum & regnantem in secula.

[15] Hæc cum audiisset tyrannus & valde fuisset iratus, [sponte sua accedunt ad ignem:] iubet accendi rogam maximum, & in eum proiici Martyres. Cum implessent uero satellites inhumanum eius iussum, Sancti sua sponte accesserunt ad rogam, se inuicem adhortantes, ut ad ignem tamquam ad aquam accederent: neque ullam ducentes rationem carbonum exustionis, magno & constanti spiritu dixerunt tyranno: Nos, Maximiane, considerantes cæcitatem tuam & sensus egestatem, lapidei tui cordis miseremur, quod fueris minister erroris immundorum dæmonum, non ualens resipiscere aut cognoscere, quomodo omnem humanam superet fortitudinem tanta tolerantia perseuerantia. Quis enim absque diuina refrigeratione aduersus omnia exedentem flammam decertauerit? [manent illæsi:] Qui autem spiritu feruent & Deum induerunt, ignis consumens illos, qui sicut tu sunt impij, nequaquam pios lædere poterit. Flammæ enim non est a natura ingeneratum, ut consumatur a

flamma, quæ est ad tempus, & in quam cadit interitus. Quamobrem frustra laboras, o stolide tyranne, qui nos, qui Christi conflagramus caritate, igne contendis consumere. Nos enim ignis candefecit, sicut candefit argentum.

[16] Cum omnes autem, qui audiebant, propter hæc verba admirarentur, tyrannus, qui erat vas interitus, perseueravit velle Sanctos perdere, & neque persuasus fuit verbis gloriosorum Martyrum, neque rebus ipsis fuit obstupefactus. [ferreis vnguibus eorum latera cæduntur.] Quamobrem iubet rursus Sanctorum palis affixorum latera ferreis vnguibus fortiter radi. Cum ergo sancti & generosi Martyres hoc quoque certamen strenue decertarent, & omnes admirarentur huius Imperatoris amentiam, præclarus Martyr Mauricius dixit tyranno: Non sentis tuam imbecillitatem & miseriam, o immunde & profane tyranne, quod Photinus paruus hic adolescens tui imperij fregerit audaciam? Talia enim & tam multa subiisse tormenta, est tui crudelissimi imperij confractio. Quomodo ergo vniuersam nostram phalangem frangere poteris, qui a tantillo adolescente fueris superatus?

[17] Propter hæc verba ira percitus sceleratus Maximianus, & ardentibus eum intuens oculis, & stridens in eum dentibus, & volens sanctum & beatum Christi Martyrem Mauricium acerbè vlcisci, iubet spiculatori, vt ante oculos patris filium conficiat & occidat. [S. Photinus decollatur.] Eo itaque præsentem, & filium adspiciente, eius caput abscidit spiculator. Cum ergo hoc modo beatissimi Photini caput venerandum fuisset amputatum, isque pulchre & gloriose migrasset ad Dominum, dixit præclarus Mauricius: Nostrum desiderium impleuisti, o tyranne, & de cetero firmum & stabilem habemus cursum cælestem. Quis enim ex nostra multitudine sustinebit superari a Photino Christi milite, qui migravit in cælum, & pudore affecit patrem tuum diabolum? Ad hæc maiori studio &

contentione tormentorum in nos excogita cruciatus, & nihil a te prætermittatur eorum, quæ probant, an firmam & immobilem fidem Christo seruemus.

Annotatum

Gentianus ita vertit: Cognoscere Deum cæli & terræ, qui tantam nobis fortitudinem dedit & tolerantiam.

CAPVT IV

Lenta mors Martyribus a vespis & crabronibus illata. Reliquiæ sepultæ.

[18] Quando autem vidit Maximianus sanctos Christi Martyres prompto & alacri animo perseuerantes, & rectam suam fidem non deserentes, conuocato inhumano suo senatu, cum eis consultabat, quemadmodum sanctos Martyres morte afficeret acerbissima, per quos terrorem afferret Christianis, [Consilio inito vt vespis ac crabronibus interficiendi tradantur,] qui erant in toto orbe terrarum, efficeretque vt ab inculcata religione deficerent. Vnus igitur ex iis, qui in senatum conuenerant, qui erat radix acerbitalis, & fructus nequitiae, & cuiusuis alterius malitiæ & iniustitiæ arbor feracissima, suavit tyranno, dicens: Est hoc quidem tempus maximi æstus, erat enim tunc mensis Panemus: locus vero extra ciuitatem versus occidentem inter duos eam præterlabentes fluuios & lacum situs est, constitutione quidem planus, fæno autem & infinita alia materia plenus: quem, qui in eo loco habitant, vocant Rogam, propterea quod sit vesparum ac muscarum acerbis habitaculum ac spatium varij generis culicibus repletum, quos meridie ne facile quidem potest aliquis transire sine periculo. Iube ergo eorum corpora vngi melle, & in eo alligari cum animalculis, vt in hoc cruciatu sentiant interitum grauiorem tormentis omnibus, quæ præcesserunt, & cognoscant, non esse maledictis

incessendos æternos nostros deos. Et quid iuuerunt ausos contrariam, quam Imperatores peragant, inire viam.

[19] Placuit verbum & consilium hoc Imperatori & vniuerso Senatui, & iubet Imperator eos tradi huic supplicio. [vincti ex vrbe educuntur:] Cum itaque meridiem obseruassent ministri iniquitatis, & tempus animaduertissent quietum, in quo, flatu ventorum, infinita animalculorum multitudo est, quæ corporibus, in quæ incidunt, grauem & molestam efficiunt perforationem; catenis vinctos deduxerunt Sanctos in hunc locum: eumque elegerunt humidum, situm prope fontem perennem, ex quo enasci solent limosæ lacunæ & voragines, vbi etiam solet degere multitudo eiusmodi animalculorum. Melle quidem vngunt Sanctorum veneranda corpora; lignis autem eos vehementer alligant in eo loco, proiicientes etiam venerandum corpus inclyti Martyris Photini ante faciem patris sui benedicti Mauritij, reputantes se ex eo ei maius allaturos supplicium. [melle vincti animalculis exponuntur:] Hæc ergo cum fecissent, quamprimum recesserunt, vt qui venenatorum animalculorum minime ferrent impetum.

[20] Cum itaque Sancti decem dies & noctes hoc intolerabile & acerbum pertulissent supplicium, sublatis ad Deum oculis, precati sunt, dicentes: Domine Deus noster, qui nos creasti ad imaginem & similitudinem tuam, & deduxisti nos ad agnitionem tuæ veritatis, & diuinitatis, & vnigeniti tui Filij, & sanctissimi Spiritus, apud te nostras animas deponimus, & rogamus, [post decem dies felicissime decedunt:] vt eas colles cum omnibus Sanctis, qui tibi placuerunt a seculo. Hæc cum precati essent, Deo tradiderunt beatas & diuinas animas, & sic dignati fuerunt coronis decertationis.

[21] Sceleratus autem & tyrannicus Imperator Maximianus, [capita post mortem abscinduntur:] etiam post mortem irascens semper viuentibus Martyribus (Deo

enim viuunt, qui secundum Deum emigrarunt, & hinc excesserūt) cum audiisset eos emisisse animas iubet carnificibus abscindi veneranda eorum capita, & proiici in eundem locum. Hi vero cum e lignis deposuissent venerandas eorum reliquias, non veriti sunt amputare colenda eorum capita. Cum ea autem abscidissent, vbique per illam siluam proiecerunt ac dissiparunt. Quidam vero fratres fideles noctu cum magno timore accedentes, collegerunt veneranda eorum capita & sanctissima eorum corpora, & cum honore & multa odoris suavitate, diuinaque psalmodia & intensis precibus, in terra fodientes, deposuerunt ipsa in eo loco, [sepeliuntur sanctæ reliquiæ.] vbi decertauerunt præclari & fortes Christi milites. In quo etiam apparent tamquam luminaria in mundo.

[22] Lætare igitur Apamea, spirituali circumcincta corona ex diuersis lapidibus pretiosis composita, ac caelesti ditata thesauro conferente quamdam diuinissimi splendoris concordiam. [Epilogus ad Apameenses.] Variæ quidem diuitiarum effulgent margaritæ, sed ad illam, quæ lucem præbet ad vnam eandemque increatæ Trinitatis fidem, cælum exultat: terra quoque sole iustitiæ illuminata, ac multiplicibus stellis relucens, in septuaginta his Martyribus gloriam Dei diuulgat. Quorum nos quoque omnes dignemur esse celebris conuentus participes & gratiæ, vno animo & consensu fruentes, quæ ab eis proficiscitur, curatione, in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia, cum Patre & sancto Spiritu nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.